



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. L. Naualis belli ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

Summum
cum inclu-
sis periculū.

be capta, cum in foro concurrerent, iussit aperiri portas, ut effusi sine periculo caderentur. Causa est, quia necessitas cum peritos & fortes premit, omnia penetrat; durum telum, & raro victi sunt, qui extrema necessitate pugnarunt. Desperatio rabidos facit, qui nihil metuunt, aut vincunt, aut magna clade vincuntur, Moner illud Pontius Samnitum imperator, cum nec deditioe noxiorum, nec vllaratione Romanis satisfacere possent. Insignis prudentia legatorum Romanorum, dum Thuscis viam aperiunt. Liu. l. 2. Manlius quoque, ad restituendam aciem se ipse coram offert, duorum consulum cognita dra accendunt militum animos, simul & vana iam erat hostium acies, dum, abundante multitudine freti, subtrahit subsidia, mittunt ad castra oppugnanda. in qua haud magno certamine impetu facto, dum praeda magis quam pugna memores tererent tempus: triarii Romani, qui primam irruptionem sustinere non potuerant, missis ad consules nunciis, quo loco res essent, conglobati ad pratorium redeunt. & sua sponte praelium ipsi renouant: & Manlius consul in castra reuectus ad omnes portas milite opposito hostibus viam clauserat, ea desperatio Tuscis rabiem magis quam audaciam accendit, nam cum incurstantes, quacunque exitum ostenderet spes, vano aliquoties impetuiissent: globus iuuenum vnus in ipsum consulem insignem armis inuadit, prima excepta à circumstantibus tela: sustineri deinde vis nequit. Consul mortifero vulnere ictus cedit, fusi que circa omnes Tusci crescit audacia. Romanos terror per tota castra trepidos agit, & ad extrema ventum foret, nil legati rapto consuli corpore patefecissent, vna porta hostibus viam, ea erumpunt, conseruatoque agmine abeuntes in victorem alterum incidunt consulem, ibi iterum caesi fusi que passim.

Et lib. 4. cum Volsci circumuenti in orbem se voluerent, Mellius eos adhortatus eduxit, ingentemque cladem attulit Romanis. Hic praebituri, ait, vos telis hostium estis indefensi, inulti? quid igitur arma habetis? aut quid vltro bellum intulistis? in otio tumultuosi, in bello segnes: quid hic stantibus spei est? an Deum aliquem protecturum vos, rapturumque hinc putatis? ferro via facienda est. Huc, quia me pregressum videritis, agite, qui visuri domos, parentes, coniuges liberos estis, ite mecum: non murus, non vallum, sed armati armatis obstant: virtute pares, necessitate, quae vltimum ac maximum telum est, superiores estis. Hac locutum exequentemque dicta, redintegrato clamore secuti, dant impressionem, qua Postumius Albus cohortes obiecit: & mouerunt victorem, donec dictator pedem iam referentibus suis aduenit: eoque omne praelium versum est. Vni viro Messio fortuna hostium innititur, multa vrimus, vulnera, multa passim cades est. Iam nec duces quidem Romani incruenti pugnant. Vnus Postumius ictus saxo praefecto capite acie excessit. Non dictator est, humerus vulneratus, non Fabium prope affixum, equo semur, non brachium abscissum consule ex tam ancipiti praelio submouit. Messium impetus per stratos cede hostes cum globo fortissimorum iuuenum extulit ad castra Volcorum, quae nondum capta erant. eodem omnis acies inclinatur. Consul effusus ad vallum vsque persecutus, ipsa castra vallumque aggreditur, eodem & dictator alia parte copias admoet: non segnior oppugnatio est, quā pugna fuerat. Consulem signum quoque, intra vallum iniecisse ferunt, quo milites acris subirent: repetendoque signo primam impressionem factam. Si fugae occasionem praeuissent circumuentis sine vulnere delere hostem potuissent, nunc grauius quam initio praelium renouatur. Nam vnus desperatione ira; rabidos & mortem cum cruciatu timens plus valet, quam tres, quibus nulla pugnandi necessitas incumbit.

§. 2. Fugientibus ergo caute instandum est, ne ex necessitate resistat, ut postea facilius fugiat, ratus non ad perniciem fugientibus instaturos victores, nam ancipitimo oppressi memorabile tamē praelium edunt, ignauiam quoque necessitas acuit, & saepe desperationis spei causa est. Curt. lib. 4. docuit. Exemplo suo animosus miles Sempronius Gracchus in infidias praecipitatus hoc agit, ne inulti cadant. Liuius

l. 34. Non esse includendum hostem Romani etiam Senatus prudentia nos satis docuit, Gallos nauigia desideranter transuchendos & comitatibus iuuenidos censuerunt. Gallis etiam per agrum Pomptinum data est fugiendi potestas. L. Martius Pœnis desperatione repugnantibus cum essent circumuenti, fugae spacium dedit, & fugientes sine periculo concidit, sic Caesar Germanos, & Hannibal ad Trasymenum fecit. Antigonus Aetolos erumpentes fugere permittit, deinde auerios cecidit. Sic Agesilaus Thebanos emittit, Xerxes Themistocles. Pyrrhi praeceptum fuit, non esse fortiter instandum fugientibus, ut alias facilius fugerent. Libenter enim cupit commori, qui se sine dubio scit moriturum. Vna salus victis, nullam sperare salutem. Lucullum etiam superauit eo modo Damates, de quo Front. l. 2. c. 7. Datames dux Persarum, aduersus Authophradatem in Cappadocia, cum partem equitum suorum transfugere comperisset, ceteros omnes venire secum iussit affectusque transfugas collaudauit, quod eum alacriter praecessissent, hortatusque est etiam eos, ut fortiter hostem adirentur: pudor transfugas attulit penitentiam; & consilium suum (quia non putabant deprehensum) mutauerunt. Dum enim desperat ob transfugia suorum vitam, victoriam adeptus est. Catonis sane insigne factum, cum enim Ambraciam Aetoli oppugnarent, lembo aduectus, voce, manu, gestu, vilis est suorum naues aduenientes vocare, ab oppugnatione itaque Aetoli destiterunt. Lycurgi leges erant, hostes fugientes non occidere. Seuarunt itaque hoc optimi militum Spartiatum, ut fugientem, quam resistentem videre mallerent.

CAPVT L.

Naualis belliratio.

§. 1. THEMISTOCLES olim fuit & deinde Pompeij Clasis summa est ratio haberetur: Omnia enim ab eo possideri, qui mare teneat. potentia.

Hinc Romani classem magnam semper, aut classes potius habuerunt, Veget. lib. 5. c. 1. Romanus autem populus pro decore & virtute magnitudinis suae, non propter necessitatem tumultus alicuius classem parabat ex tempore: sed ne quando necessitatem sustineret, semper habuit praeparatam. Nemo enim bello laceessere, aut facere audet iniuriam ei regno, vel populo, quem expeditum & promptum ad resistendum, vindicandumque cognoscit. Apud Misenum ergo & Rauennam singulae legiones cum classibus stabant, ne longius à tutela urbis abscederent: & cum ratio postulasset sine mora, sine circuitu ad omnes mundi partes nauigio peruenirent. Nam Misennatum classis, Galliam, Hispanias, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam atque Siciliam habebat in proximo. Clasis autem Rauennatum Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum Orientem, Cretam Cyprum petere directam nauigatione consueuerat. Maris ergo dominium plurimum ad potentiam facit, Hispani aiunt, Regnum sine portu, esse sicut furnum sine igne. Et sane apparuit in Lusitaniam haud magno regno, quomodo maris dominio Indias occuparint, hodieque teneantur. Lipsius plures numerat classes, de magnitudine Romana l. r. c. 5. Quatuor in mari, tres in fluminibus esse arbitrat.

§. 2. Vegetius curam nauium faciendarum maximam requirit, quia maius est periculum nauem esse vitiosam, quam domum. Ex cypro ergo, inquit l. 5. c. 4. & pinu domestica siluestri larice, & abiete praecipue Liburnia contextur, virilius ereu clauis quam ferreis configenda. Quilibet enim gratior aliquanto videatur expensa, tamen, quia amplius durat, lucrum probatur asserre. Nam ferreos clauos tempore & humore celeriter rubigo consumit; aerei autem etiam in fluctibus propriam substantiam seruant. Materia caedenda à decima quinta luna vsque ad vigesima tertiam; Post solstitium æstiuum ad Ianuarium vsque caedi potest. Naues variae olim, maximae fenorum ordinum vel triremum fuerunt, ut ait Veget. sed de ordinario nauium modo loquitur. nam ab ea, qui vno remigum ordine

Cura nauium faciendarum magna est habenda.

Tasseplexi.

Nauium magnitudo.

ordine trahitur, vsq; ad quindecim & sedecim remigum ordines peruentum est, sed vsitate sunt biremes, triremes, quadriremes; quæ tot habet ordines remorum, remigum & sedilium in quolibet ordiné. Romani quidem cum primo rem maritimam attingerent, difficilem putarunt, quinqueremium ædificationem; At postea Antonius, Augustusque alia nauium propingnacula extruxerunt; Antonius vero etiam *deuigens* dicere, vt habet Dion. Alexander Magnus duodecim ordines habuit, vt auctor est Plinius. Ptolomæus Philadelphus duas naues habuit ordinum triginta, vnam viginti; quatuor, tredecim; duas, duodecim; quatuordecim, vndecim ordinum; triginta hepteres, Hexeres quinque, quinqueremes decem & septem. Magna fuit & oppidi instar nauis, Ptolomæi Philopatoris, quadraginta ordines habuit, longitudo eius ducentorum octoginta cubitorum, altitudo triginta octo, nauæ erant in ea quadringenti, remigum quater mille, milites pene ter mille, rostra septem, gubernacula quatuor. Quæ tamen omnia magis ad ostentationem quam ad vsum fuere. Tanta enim multitudo nec viuere commode, nec administrare officia potuit.

Monstruosa
nauis.

Magnarum
nauium vsus.

§. 3. Pleriq; naues minores agilesq; magis probat, quia & minores vento agitur, & tam facile in Syrtis non impingunt. Turcicæ naues in conflictu contra Austriacum innoxia telamiserunt, q; prore earum multo altiores essent; Sed tamen si verum fateri volumus, Augustus contra Sextum Pompeium, & Antonius alitis nauium vsus est propugnaculis. Et victoriam Christianis contra Turcas sex magnæ Christianorum naues, quæ ante Semilunâ nostræ classis hostilem classem lacerarunt, magna ex parte reportarunt. Prælagia tempestatum obseruare, & obsequi illis omnino necessarium, plures enim classes tempestate, quam prælio perierunt: Cum omnia prouideris in media aqua sui pereundum est. Itaque & de aqua prospiciendū est. In mari pugnaturus prim^o in aciem progredi poteris; nam etiam parati milites quiescere cibumq; sumere poterunt. Nec fatigantur vt in terrestri prælio, non tamen pugnare nisi hostis accedat. Timotheus dux Athenienium in hostem velocissimas viginti naues eos ludificatum misit, quæ hostes lassarunt, lassatos deinde ipse cecidit.

§. 4. Nautici exercitus ingenti cura exercendi sunt, vt remos ducere, clauū moderari, ancoras iacere, & reducere, fines collocare, vela pandere, contrahere, naues cōuertere, obliquare vela, malum cōscendere è carchesio speculati cōsuecant. Deniq; vt ad omnia pericula sint interriti: nam præter cōmunia belli mala, æquora ipsa & belluæ satis ad terrorem faciūt. Deinde ventorū pugna, breuia, Eurypi, vortices, æstus, finus, promontoria, scopuli, syrtis & quæ spectantib; maxime grata est, quies maris, seu ipsa malacia. Noctu facilius sibi omnia ignibus significant. Ignē semper præfert prætoria & vice prætoria, sed cum hæc ad est, binos exhibet prætoria, hoc omnes imitantur, ne vicinitate impingat. Cum turbo exoritur, bis magno tormento signum datur, opes non esse, vt sequantur naues prætoriam. Scipro autem consignata habent mandata, quo in loco, si dispersi sint, conuenire oporteat. Si hostes noctu appareant, nauis quæ eos animaduertit, signum dat. Nauium etiam tessera magna eura datur. Ad occasum Solis simulq; ortum naues omnes veniunt salutatum duces in prætoria accipiunt autem vesperi tesseram, q; si tempestate impediuntur, habet quisque nauarchus scriptas totius hebdomadæ tesseras, quas distribuunt. Nihil periculosius est pugna maritima, nam ipsum mare inimicum est, naues facile perforantur & incenduntur, in naues inimicas insiliendum est, ibique pugnandum. Naues ipsæ interdum inter se implicantur seque in-

pediunt, & victa victicem trahit. Ordo naualis pugnae fere est, vt prætoria sit in medio, illique iungantur maiores naues, alas obtineant minores, quod ita intelligo, nisi hostis firmiores habeat in lateribus; id magnopere curandum, vt fortes sint illæ quæ primæ ventum excipiunt: nam fortissimæ possunt impressionem facere. Aequali ordine procedunt, quæ leuioribus sunt ita vela temperant, ne velocius terantur, quam grauioribus. Duobus modis maxime hostis læditur, tormentis & harpagonibus, quibus nauigia coniunguntur. Olim tormenta, quibus nauigia lacerarent, non habebant, concitatis rostris in latera impingebant, nunc alia ratio est, nam qui celerrime dexterrimeque naues hostiles fulminant, qui malum, antennas aut gubernaculum tangere possunt, fere victores euadunt. Olim igne pugnabant quam maxime, Cassius onerarias accensas in hostium classem immisit, & accendit. Cn. Scipio amphoras pice & tæda plenas in naues hostium iaculabatur. Hannibal viperas. Contra bombardas minores se mununt crassis asseribus, & interdum duplici funium sepiamento, quorum distantia vnius pedis est. Interim magnis incommodis conflictantur, siue dum iunctis & connexis nauibus depugnant, siue dum ignes aduersariorum nauis injiciunt, simul enim & ipsi periclitantur, ne simul exurantur. Imbellis omnis turba ad reparandas naues & curandos vulneratos adhibetur. Periculum ex eo augetur, quod cum ad manus ventum, vna nauis vnam, aut vnam duæ aggrediuntur, simul itaque tot acies, quot naues.

Acies na-
ualis.

Periculosa
in mari pu-
gna.

§. 5. Classis lentius eodem vento, et cum eadem naues sunt, procedit, quam naues singulae seorsum. Itaque cum est proficiscendum, ad longius iter se præparabit Imperator, quam negotiator.

Classis len-
tior est, quā
singulares
naues.
Signa pu-
gna.

Cum maritimus cōflictus habendus est, vexillum è prætoria proponitur: si aliunde nauis appareat, ea nauis quæ proxima est, vexillum suspendit, si duæ duo, monetque præfectum classis.

Nauis ex-
ploratoria.

Cum exploratoria naues indicat a se videri quippiam, si velit præfectus eas progredi, meliusque explorare, vexillum in prora suspendit; Et sane in mari multa per vexilla demonstrantur, quod longissime per æquor se visus protendat, qui in campis, dumeris, alijsque rebus impeditur.

Syrtis.

Cum allisit nauis, aut hæret in Syrtibus, ter tormentum explodit, & è carchesio quispiam vibrato vexillo auxilium postulat. Si hostilis nauis in classem speculandi gratia irreat, eiusque rei sit suspicio, certi aut varijs coloris vexillum, quale omnes naves habent è prætoria extollitur, quod cum speculatoria nauis facere nequeat, mox deprehenditur; latere tamen possit, si ante de genere istorum vexillorum instructa fuisset.

§. 6. Classi multo plura defunt, quam exercitui terrestri; ita enim comparanda sunt classium arma, vt terra etiam dimicare, & obsidere vrbes possint. In classe Hispanica multa fuisse recenset Ranzouius. Hæc, inquit, classis c. 8. l. i. collecta fuit ex 130. nauibus, & pondera suæ (quod dicunt) lastas vexit 57868. Classiariorum milites 19295. Nautas ac Remiges 8052. Tormenta maiora 2441. Pilas suæ glandes tormentarias 123090. Pulueris nitratu centenarios 5175. Plumbi centenarios 1238. Fomitum igniariorum centenarios 1151. Ingentem præterea copiam aqua dulcis, patinarum ilignearum, lucernarum, maiorum ac minorum lampadum, Clauorum item & cori bubuli lini stupæ, magnam vim, ad nauium hiscentium & perforatarū obstructionē & instauratiōē: nec non scuta, cerea cōplura, candelas sebaceas, saccos logiusculos. Insuper aderāt omnia ea, quæ ad tot mētā grandiora promouēda faciunt, vt 40. muli, vehicula humiliora, rotæ aliæque id genus: ac inter cetera, quæ sufficerent 20. currulibus illis maioribus tormentis, quos cartanæ appellant, in litus exponendis: quibus cum vehabantur

Multa ad
classem re-
quiruntur.

Noctu ignes
accendant.

Tessera du-
plex in clas-
se.

ad huc 21. alterius generis, quæ ab usu, quem potissimum in campo aperto præstant, dicuntur Campestres serpentina seu Colubrina, & quibus hæc onerentur 3500. globi. Iam vero quod ad arma minora attinet, iis abunde classis erat instructa. In promptu erat bombardæ manuariæ longiores 7000. furcata & ad capulum incurvata cum requisitis suis 1000. Hastilia oblonga 10000. Gesta ac bipennes 1000. Hasta breuiores 6000. aliæq. complura prout de comparata, quibus cum fides ferret, terrestri prælium aduersus hostem iniuri, oppidaque obsideri atque capi possent. Assuere simul 700. Cunicularii, apparatus suo, quo in cuniculis agenda præteritur, plus satis instructi.

Omnium autem personarum, quibus de comæatu prospexit, erant, cuius generis fuere stipendiarii milites audaculi, Sclopetarii, Medici, Chirurghi, Sacrificuli, Monachi, Nobiles, & Ministri ceteri summi Classis præfecti, Ludices, Nauta, Remiges, coqui & similes ad Classis apparatus necessarii fuerint numerus 30693. Ad horum sustentationem semestrem hic comæatus habebatur. Panis bis cocti Centenarii 11000. Vini amphora 21255. Carnis salis centenarii 6000. Cascorum centenarii 3433. Salsamentorum centenarii 8000. Oryza centenarii 3000 Fabarum ac Eruiorum centenarii 6320. Olei mensura, quas vocant Bath. 11398. Aceti eiusdem mensura 13687. Fistula aqua potabili plena 11870. Illud quoque ab Hispaniis, quos Angeli ceperunt, cognitum est: singulis diebus classi alenda 12000. ducatos fuisse impensos & magnam præterea auri & argenti vim in belli subsidium per naues pratorias aduectam: in ipsam autem classem ab hostili Anglica decies milites tormenta fuisse exonerata. In classe Danica apparatus navis prætorie hunc tradit. Bombardarii (c. 8. l. 1.) periti tormentorum maiorum onerandorum & dispendiorum 100. Nauta 500. Milites Classarii 700. Integra & dimidiata cartæ 20. Serpentina seu Colubrina integra 14. Serpentina doctæ 14. Serpentina dimidiata 4. Falcones 15. Aenei pyroboli 2. Turrisfraga seu Phalarica murales 8. Arietes pyrii 8. Harpagones siue hama 8. Machinas, quas vocant Wærstien. 68. Machina vincta 100. Pulueris nitrati pondera siue lastæ 10. Præter plumbum, globulos, Ellychnia, siue fomites igniarios, magno numero. Comæatus in eandem nauim prætoriam fuit destinatus ad semestrem victum: Succidia 7400. Frustra carniū bubularum 3143. Carnium ouillarū quarta 6248. Anseres fumo durati 6248. Butyri pondera siue lastæ 30. Hæc cum conditarum lastæ 60. Asellorum minorum lastæ 60. Salparum siue Merlucarum vehicula 1480. Esocis saliti lastæ 4. Anguilla saliti lastæ 4. Albica Marina 4000. Pectines seu passeris marini soleficati 8000. Asellorum longorum fasses 8. Asellorum maiorum siue capitonum fasses 8. Avena humano cibo preparata lastæ 24. Eruiorum lastæ 24. Panis lastæ 402. Cereuisia lastæ 700. Salis Lunaburgensis lastæ 4. Salis grafi peregrini lastæ 10. Aceti lastæ 4.

Cum naues defunt, vtitur est negotiatorum nauigia detinere, soluto uestitionis precio. Quod Reges Hispaniarum Daniæque solent, qua in re ita agendum, vt iustitia in omnibus seruetur.

Comæatum tamen cura prima sit.

Ὁὐδὲ τοι εὐχρηστὲς αἱ γαστέρι κύνεσσιν ἀνδρῶν ἐπὶ λείῳ, ἢ τ' ἐκείλευσαν ἐπὶ μὴ ὁσάδας ἀνδρῶν, καὶ μάλ' αὖτε πόρνον, καὶ ἐπὶ ὀρεσὶ πένθος ἐρύοντα.

Non est improbo ventre damnosius aliud, qui necessario sui memoriam exigit, etiam si quis tristis sit & luctum mente voluat.

In exercitu id grauius malum est, quia ille ad vitiosos cibos & obscenos impulsus, pestilentiam alioque morbos contrahit, & quia languet, spiritus deficiunt, timidusque efficitur.

Vt comæatus habeatur, commodum fuerit, non modo pecuniam imperare, quæ per manus Harpyiarum transiens acciditur, sed frumentum, succidiam, caseos, butyrum, oleum, pisces, aliæque, libentius enim hæc inferunt subditi, & vtilius seruantur.

Comæatus classis Hispanica.

Prætorie Danica classis.

Comæatus.

CAPVT LI.

Exploratoribus vtendum esse.

§.1. Hostium nosse consilia, sua celare summum ad victoriam momentum habet. Nec quicquam fere bello victus est, nisi qui propositum hostium ignorauit. Tomombeius fortissimum exercitum amisit, & regno exutus est, eam fere ob causam, quod omnia eius consilia proderentur.

Hostium consilia nouisse, est pene vicisse, Fuluius nobilior hostes intelligit extremum agmen carpturos, fortissimam legionem primo loco ire, impedita se qui iubet, hostes inuitati occasione sarcinas diripiunt. At Fuluius legionis quinque cohortes ad dextram, quinque ad sinistram viæ direxit, quæ hostem occupatum conciderunt. Idem non dissimili modo Iphicrates fecit. Epaminondas nihil magis in Duce laudabile esse, quam nosse hostium consilia.

§.2. Germanicus etiam in tumultu & cæde militari, apud Germanos exploratores habuit. Tac. l. 1. ann. Dilecta longiore via, cetera adcelerantur, etenim attulerant exploratores systam eam Germani noctem, ac sollennibus epulis ludicram.

§.3. Magni interdum Reges suo periculo varia loca adeunt, vt hostium apparatus cognoscant. Salladinus Christianorum apparatus audiens; Germaniam, Gallias & Hispaniam peragravit. Egnat. lib. 9. cap. 8. Prudentior hoc in genere Mennon, qui cum legato alium misit, nempe citharædum nobilem, ad quem multitudo confluebat. Polyæn. lib. 5.

§.4. Multo minus proprii exercitus fatum est ignorandum, quod quandoque exitio fuit. Interdum sane ignorant in eodem exercitu partium fortunam Brutus victor erat, in suo cornu victus Cassius, qui cum Brutum quoque victum putaret, mortem sibi conscivit. Rex Galliarum Heluetios in Insurbia uicisset, integri quidam Heluetiorum ordines suos victores putauerunt, & prope ob eum errorem totus exercitus interierat.

§.5. Exploratores semper, sed caute mittendi, ne intercepti, & torti consilia tua indicent. Heraclides specie transfluxæ naualia Rhodiorum incendit.

§.6. Omni modo & nouis interdum stratagematis vtendum, vt exploratores noscantur. Cum in exercitu Charetis exploratores essent, iussit vnum quemque proximum apprehendere, & interrogare ordinem, vexillum, manipulum, contubernium, ad quæ cum respondere non possent, deprehensi sunt. Theognis cum iuberet omnes suis armis indui, exploratores deprehendit, sed cum inter lixas & negotiatores latent, illi quoque sunt examinandi, nam fere ab aliquo noscuntur.

§.7. Literarum occultæ notæ, siue in baiuli corpore, siue alio modo scribantur, iam fere deprehenduntur. Tutissimum est, antequam scitangantur de notis conuenire. Olim Carthagenensis in tabella, quæ cera obducta erat, secreta Romanorum perscribebat in Patriam, & Demaratus Græcus de expeditione Xerxis monuit: Cell. 17. c. 9. attolis nouacula capillis inscriptas vertici literas iisdem renatis testas ad amicos missas ait.

Scytala Laconica insigni artificio fit, vterque lignum eiusdem modi ac magnitudinis habet, charta oblonga instar lori circumligatur, deinde inscribitur, eam qui accipit suo ligno circumligat, & reddet eandem literarum coniunctionem, quæ in priore ligno erat, nec hostis explicari potest illud sensum, nisi magnitudinem lignorum cognouerit.

Callidissimus Regum Philippus literas Antipatro

Nota sunt hostium consilia. Omnis ars duci, sicut at hostis, noxia est.

Fortunam proprii exercitus nosseopus est.

Exploratores explorandi.

Litteræ exploratoribus.

Scytala.